

[86vb] Utrum cum Dei predestinatione stet predestinatum finaliter posse perire quod sic, quia cum predestinatione stat predestinatum mortaliter peccare, igitur et finaliter perire. Patet consequentia, quia postquam peccaverit mortaliter postest non resurgere, quia libere surgit et si potest non surgere potest finaliter in peccato mori, et sic finaliter damnari. Antecedens patet, quia predestinati multotiens in peccatis mortalibus lanuntur, ut patet de peccato Magdalene et aliis apostolis.

Ad oppositum sic: non sstat aliquem simul esse predestinatum et non predestinatum, igitur. Patet consequentia, quia omnis predestinatus a deo finaliter est predestinatus, et nullus periens finaliter est predestinatus. Igitur, si predestinatus periret insimul esset predestinatus et non predestinatus. Antecedens patet per Magistrum in ista distinctione, quia in sensu composito nullus predestinatus potest perire.

Respondeo ponendo tres conclusiones.

Prima conclusio: quod cum dei reprobatione stat reprobatum finaliter posse non perire. Probatur tripliciter.

Primo sic: quicumque de peccato commisso libere potest penitere, potest finaliter non perire, sed prescitus vel reprobatus existens in peccato potest libere penitere, igitur. Maior patet, quia per penitentiam peccata dimittuntur, ut ostendit Magister, libro 4, quaestione 14, nullus autem perit vel damnatur ex peccato dimisso, nisi forte redeat ad vomitum, quia iam non esset dimissum. Sed minor patet, quia aliter quis invite esset finaliter impenitens, et sic invite suum peccatum committeret, quod est finalis in penitentia, quod est falsum libro 2, distinctione 41.

Secundo sic: cum reprobatione divina stat libertas voluntatis, per quam prescitus potest salvari, igitur. Sed antecedens probatur, quia de nullo est desperandum in hac vita viventi quem tempus penitentiae est usque ad extremum articulum vite, ut ait Magister, libro 4, distinctione 40, etiam quia aliter nulli peccatori esset suadendum quod beneficeret quod converteretur ad Deum et ageret penitentiam.

Tertio sic: conclusio non sit vera, sequitur quod prescitus necessitaretur ad malum, et non nisi per causam superiorem, scilicet per divinam prescientiam, igitur Deus vellet istum sic ad malum cogere, quia nihil prescit, nihil facit, nisi volens, sed hoc est falsum, scilicet quod Deus velit ipsum prescitus ad malum necessitare, quia tunc prescitus domini in oratione dominica “deus fiat voluntas tua”, peteret se cogi ad malum, et sic hoc dicendo peccaret quod non videtur verum. Ista conclusio est de mente Ioannis Crisostomi, De reparatione lapsi, et allegatur Magistro, libro 4, distinctione 14, dicenti crede mihi Dei petas hominis penitentiam nunquam spernit, si ei sincere et simpliciter offeratur, etiam si usque ad summum preveniat quis malorum, et inde tamen velit reverti ad virtutis viam suspicit libenter et amplectitur, et habetur de peccato, distinctione 3, talis: ex quibus verbis patet quod penitentia stat in libertate voluntatis, quia ait: tamen velit reverti et etc.

Contra istam conclusio arguitur tripliciter.

Primo sic: si conclusio sit vera, sequitur quod Deus possit decipi et falli. Consequens falsum, quia tunc posset non esse Deus, cuius oppositum fuit superius probatum, quaestione 11. Probatur Consequentia, quia quando ad aliquod antecedens formali consequentia sequitur aliquod consequens, idem addito utrobique sequitur idem. Primo priorum, sed ista est bona et formalis consequentia. Petrus reprobatus a Deo non damnabitur finaliter, igitur Deus decipitur, igitur idem addito utrobique etiam erit bona. Ad datur igitur posse utrobique sic, scilicet Petrus

reprobatus a Deo potest non damnari finaliter. Igitur Deus potest decipi. Sed antecedens est predicta concludo, igitur. Et confirmatur, quia si aliquod antecedens de in esse, sequitur formaliter aliquod consequens de in esse, similiter in eisdem terminis ad antecedens de possibili sequitur consequens de possibili.

Secundo sic: quicquid fuit verum et non potest non fuisse verum postquam fuit, verum necessario fuit verum. Sed prescitur puta antichristum finaliter perire fuit verum et non potest non fuisse verum postquam fuit verum. Igitur necessario fuit verum, igitur non potest finaliter non perire, quia tunc necessario non fuisset verum. Sed quod non potuerit non fuisse verum postquam fuit verum apparet, quia ista implicat a fuit verum et a nunquam fuit verum.

Tertio sic: si conclusio sit vera, sequitur quod Deus presciscit Socrates esse damnandum, potest non presciscere Socrates esse damnandum, si sic ponatur in esse, et tunc sequitur quod Deus presciscit Socrates esse damnandum, non presciscit ipsum esse damnandum que implicat, quia non dicitur Deus presciscit, nisi quia presciscit etc.

Respondeo.

Ad primum, dico ad punctum quod illa regula quando ad aliquod antecedens etc., sic generaliter intel-[87rb] lecta est falsa, unde ad hoc quod sit vera, 5 conditiones sunt necessarie.

Prima, quod per antecedens et consequens illius consequentie idem significetur ex parte rei, aliter non tenet, ut dicendo creatura est, ergo creator est. Consequentia est bona, non tamen sequitur creatura est dependens. Igitur et creator est dependens.

Secunda, quod terminus idem utrobique additus non variet suppositionem primorem termini cui additur, aliter non tenet, ut dicendo, homo est, igitur ens est. Consequentia est bona, non tamen sequitur homo est species. Igitur ens est species.

Tertia, quod terminus utrobique additus non sit restrictivus vel exclusivus, verbi gratia licet sit bona consequentia, Socrates est papa, igitur Socrates est homo. Non tamen sequitur solus Socrates est papa, igitur solus Socrates est homo.

Quarta, quod terminus utrobique additus non sit ampliatus, verbi gratia licet sit bona consequentia, Socrates est papa, igitur Socrates est homo. Non tamen sequitur Socrates est futurus papa, igitur Socrates est futurus homo, accipiendo **ii** futurus, ut solum supponit pro illis qui erunt, sed non sunt.

Quinta, quod terminus utrobique additus non mutet sensum vel speciem prioris propositionis, ut puta quod si prima propositio sit modalis, quod remaneat modalis, et sic si est de in esse similiter. Quod si prius faciebat sensum compositum quod postea non faciat divisum nec econverso, verbi gratia bene sequitur Socrates elicit actum voluntatis quem vult non elicere. Igitur invite ipsum elicit, non tamen sequitur Socrates potest elicere actum voluntatis quem vult non elicere. Igitur invite ipsum potest elicere. Ex predictis patet ad rationem, quia ibi deficit ista quinta conditio. Ad confirmationem, patet per idem.

Ad secundum, concedo maiorem in sensu composito, quia non stant simul aliquid fuisse verum et illud nunquam fuisse verum. Et sic concederem conclusionem in sensu composito, quia non stant simul in veritate antichristum esse presciscit et non perire finaliter. Sed in sensu diviso nego maiorem, minorem et conclusionem, quia non omne illud quod fuit verum fuit necessario verum, immo potest nunquam fuisse verum, si tamen eius veritas includat vel requirat aliquod futurum contingens, ut supra multotiens dictum est.

Ad tertium, dico quod Deus presciscit Socrates damnandum potest non presciscere, et cum dicitur ponatur in esse, dico quod in sensu composito, cum hoc scilicet quod Deus [87va] est

presciens Socrates damnandum, non potest poni in essem sed bene in sensu divisio, sicut modo ego lege et possum non legere. Sed tamen non potest poni in esse, scilicet non legam in sensu compositio, scilicet stante quod legam, sed bene in sensu diviso sic in proposito.

Secunda conclusio est quod cum Dei predestinatione stat predestinatum finaliter posse perire.

Probat tripliciter: licet sit eadem difficultas istius conclusionis et precedentis.

Primo arguitur sic: si predestinatus non posset finaliter perire, sequeretur quod vana esset omnis hominis ad bonum persuasio, et omnis oratio, et effectus Christi passionis, et omnis sollicitudo angelica, vel humana circa boies. Igitur et predestinatus finaliter potest perire. Consequentia nota, quia omnia illa sunt absurda et falsa. Sed patet antecedens, scilicet quod omnia ista sequeretur, quia si predestinatus non posset perire finaliter, tunc predestinatus immutabiliter et necessario falleretur ex hoc quod esset predestinatus et sic omnia predicta essent superflua.

Secundo sic: si predestinatus non posset finaliter perire, hoc solum esset ideo quia prescientia, que in predestinatis includitur, faceret necessitatem precognito eveniendi. Sed hoc est falsum. Igitur et primum quod solim esset ex hoc patet, quia nulla alia ratio ab oppositis adducitur, que in ista non fundetur vel reducatur, sed quod hoc sit falsum patet per Augustinum, 3, De libero arbitrio, sic arguentem, si prescientia Dei faceret necessitatem prescito, cum igitur Deus presciat omne quod ipsemet est facturum, sequitur quod ipse necessario faceret omne quod ipse est facturum, sed hoc est falsum igitur.

Tertio sic: divina predestinatio non aufert a nobis libertatem contingentie, igitur predestinatus potest finaliter perire. Patet consequentia, quia omnis habens libertatem contingentie potest precepta adimplere et non adimplere, Deum diligere et non diligere, bene vel male agere, et omnis talis potest finaliter male agere, patet, quia non plus in uno tempore vite sue quam in alio, cum voluntas sit in omni eius tempore **que** libera. Omni autem qui potest finaliter male agere potest finaliter perire. Sed antecedens patet, quia prescientia Dei non tolit libertatem contingentie, ut patet questione 42, igitur nec predestinatio cum sint idem, licet diversa habeant vocabula, ut ait Magister, libro primo, distinctione 35, in principio. Ista conclusio est expresse de mente Magistri, distinctione 4, 1, dicentis falsum dicis si intelligas istum non posse damnari [87vb] quem predestinatum potuit, enim non esse predestinatus et ita damnaretur.

Contra conclusionem arguitur tripliciter.

Primo sic: predestinatus non potest facere quando fuerit predestinatus, igitur non potest facere quod finaliter pereat. Consequentia nota, quia illa non potest simul esse vera, quod quis simul pereat et fuerit predestinatus. Sed probatur antecedens, quia pono casum quod sint duo adulti equaliter in omnibus circumstantiis excepto hoc quod unus sit predestinatus alius non, et peccent per fornicationem ceteris omnibus paribus excepta predestinatione unius et non alterius, tunc casu isto posito predestinatus gravius peccat quam prescitus, nec potest nunc non peccare gravius, nec poterit postea non fuisse predestinatus. Igitur in tempore quo peccavit necessario fuit predestinatus. Prima pars precedentis, scilicet quod predestinatus gravius peccet patet, quia predestinari est maximum Dei beneficium, igitur si peccat est magis ingratus et per consequens gravius peccat. Alia pars precedentis, scilicet quod non poterit non peccasse gravius patet, tum quia peccatum eius transivit in preteritum. Item quia ponatur quod illum qui gravius peccat statim Deus miraculose aliquo signo stabili signet in fronte ratione maioris peccati commissi, tunc postea non poterit esse quando iste sic fuerit signatus, et sic ratione maioris peccati

commissi, et peccatum non fuit maius nisi predestinatus ratione, igitur non poterit esse quin iste fuerit predestinatus, et sic predestinatus necessario fuit predestinatus.

Secundo sic: predestinatio Dei est omnino immutabilis cum fit ipse Deus, igitur est necessaria, igitur quilibet predestinatus est necessario predestinatus.

Tertio sic: quando aliqua opposita sic se habent quod impossibile est illa verificari successive de eodem cuicumque convenit, unum illorum impossibile est eidem convenire reliquum. Sed predestinatum esse et damnari sunt huius, quia impossibile est quod aliquis sit primo predestinatus et postea damnetur, quia sequitur iste damnatur. Igitur nunquam fuit predestinatur, igitur impossibile est quod predestinatus damnetur.

Repondeo.

Ad primum, dico quod nullum beneficium quantumcunque magnum alicui impensum si ignorantia invincibili eidem est omnimode ignotum. Non redit ipsum magis obligatum, quia tunc aliquis obligaretur ad impossibile ut puta si aliquis [88ra] homo maius beneficium conferret mihi ceteris hominibus quem nullomodo possem cognoscere quod plus essem sibi obligatus quam veteris non renerer illum ratione illius beneficii ceteris plus diligere, cum voluntas non possit ferri in incognitum, licet igitur Dei predestinatio sit maximum beneficium, quia tamen est nobis totaliter incognitum, non obligat et per hoc patet ad argumentum.

Ad secundum, dico quod licet predestinatio et prescientia Dei sit immutabilis, tamen quantum ad connotata est contingens, scilicet quia est contingenter huius prescientia vel predestinatio, quia potest nunquam fuisse huius predestinatio vel prescientia. Ad istud etiam argumentum satis patet per solutionem argumentum contra tertiam conclusionem questione 42 etc.

Ad tertium concedo quod nullus predestinatus. Primo potest non esse predestinatus, supposito quod primo fuerit predestinatus, quia tunc sensum compositum, sed bene predestinatus potest non esse predestinatus non successive, quod primo fuerit predestinatus et postea non, sed quia potest nunquam fuisse predestinatus, et tunc facit sensum divisum ex quo patet ad argumentum.

Tertia conclusio est: quod cum Dei dispositione stat quodlibet futurum dispositum posse non evenire, hic voco Dei dispositionem Dei providentiam de faciendis, ut dicit Magister, libro 1, distinctione 35, in principio probatur conclusio tropliciter.

Primo sic: omne quod producitur a causa contingenter, illud producente potest non produci, et sic non evenire, sed omne futurum a Dei dispositione dispositum est huiusmodi, igitur. Maior patet, quia alias a tali causa non produceretur contingenter, si ab illa non posset non produci. Et minor patet, quia omne futurum dispositum a divina dispositione produceretur a Deo, quia vel ad extra producit necessario sed solum contingenter.

Secundo sic: quodlibet futurum Deus potest facere non esse futurum, igitur quodlibet potest non evenire. Consequentia de se nota, sed probatur antecedens, tum quia Deus potest facere quicquid non implicat contradictionem, tum quia aliter Deus posset ipsum futurum non producere, et sic necessitaretur ad producendum.

Tertio sic: creatura rationalis potest facere aliquod futurum non evenire, igitur et Deus potest facere quodlibet futurum non evenire. Consequentia nota, quia non magis aliquod futurum est in libertate creatura quam omnia futurum sint in liber-[88rb] tate Dei, si igitur creatura potest aliquod facere non evenire, igitur Deus potest facere quodlibet. Sed patet

antecedens, quia volutas potest facere actum suum libere eliciendum non esse futurum, quia contingenter ipsum eliciet et potest ipsum non elicere, igitur etc.

Contra conclusionem arguitur tripliciter.

Primo sic: nullum futurum potest desinere esse futurum ante positionem eius in esse, sed quodlibet futurum a dispositionem Dei dispositum est futurum, igitur nullum tale potest desinere esse futurum ante positionem eius in esse, igitur non potest poni esse, quia si nunquam poneretur in esse, nunquam fuisset futurum. Maior a patet, quia si futurum desineret esse futurum antequam poneretur in esse, iam nunquam fuisset futurum. Sed minor nota, quia omne quod a divina dispositione est ordinatum est futurum.

Secundo sic: nullum futurum potest incipere esse futurum, igitur. Consequentia nota, quia si a sit futurum a Dei dispositum evenire, certum est quod veritas istius propositionis a nunquam erit, non fuit futura. Igitur non potest incipere esse futura, sed si futurum a Deo dispositum posset non evenire, illa veritas posset incipere esse futura, quia nunc non est futura, et potest esse futura, igitur potest incipere esse futura. Et antecedens patet, quia si aliquod futurum posset incipere esse futurum, tunc aliquod posset esse futurum, quod non esset a Deo eternaliter presciturum, quod est falsum.

Tertio sic: si Deus posset facere futurum ab eo dispositum non esse futurum, aut posset hoc de potentia absoluta, aut de potentia ordinata. Non de ordinata, quia ordinavit de quodlibet futuro ipsum esse futurum et per consequens de potentia ordinata oppositum facere non potest. Nec de potentia absoluta, quia est eadem potentia cum ordinata, et per consequens quicquid potest una et reliqua, et quicquid non potest una, nec reliqua. Item oppositum dicte conclusionis videtur de intentione Anselmi, De concordia, capitulo 2, ubi dicit: necesse est esse omne quod fuit, et esse quod est, et futurum esse omne quod erit. Item quia omne quod est, quando est, necesse est esse, sed omne futurum modo est futurum. Igitur omne futurum modo necessario erit futurum. Igitur non potest non evenire.

Respondeo.

Ad primum, concedo maiorem in sensu composito, que est quod ista non stant simul quod hoc sit futurum, et aliquando non eveni-[88va] et, sed in sensu divisio est falsa, quia illud quod modo est futurum potest nunquam evenire, et si nunquam eveniret, nunquam fuisset futurum. Conclusio autem intelligitur in sensu divisio.

Ad secundum, dico quod nullum futurum potest incipere esse futurum. Ad probationem dico quod posito quod veritas a non sit futura, tamen potest esse futura, et non potest incipere esse futura, quia eo ipso quod esset futura ab eterno fuisset futura.

Ad tertium, dico quod Deus potest facere futurum nunquam fuisse futurum de potentia ordinata et absoluta, quia idem sunt. Et cum probatur quod non de ordinata, quia per ipsum iam oppositum ordinavit, dico quod quantumcunque Deus sic ordinaverit, potest tamen adhuc esse quod oppositum semper ordinavit, quia talis Dei ordinatio fuit contingenter talis rei ordinatio, ad Anselmum, dico quod vult dicere quod omne futurum necessario erit, scilicet in sensu composito, stante, scilicet quod sit futurum, non tamen vult quando illud quod est futurum possit unquam fuisse futurum. Similiter dico quod illa propositio, omne quod est quando est necesse est esse, est vera in sensu composito, quia implicat contradictionem quod insimul idem sit et non sit. Sed est falsa in sensu divisio, quia multa sunt que contingenter sunt.

Ad argumentum in oppositum in principio questionis, patet quod dicendum, quia arguit in sensu composito. Conclusiones autem intelliguntur in sensu divisio etc.